ASSERTIO-
NES THEOLOGICAE, EX
PVBLICIS LECTIONIBVS COLLECTAE, QVAE SVNT hoc anno in D. Paulum, & D. Thomam in Collegio Societatis IESV habitæ,

ANTE INSTAVRATIONEM ſtudiorum in templo eiuſdem Societatis diſputandæ.

ROMAE,
In ædibus Societatis IESV.

M.D.LXII.

IN CAP. I.

PAVLVS APOSTOLVS.

NOn eſt, vt volunt hæretici, id nudæ legationis ſeu functionis tantùm nomen, ſed poteſtatis etiam atque autoritatis. Poterant enim Apoſtoli leges ferre, & quæ ad ædificationem expedire intelligerent in Eccleſia, conſtituere. Quam quidem autoritatem (etſi non parem cum Apoſtolis) habere Epiſcopos, qui ipſis ſucceſſerunt, dubitandum non eſt.

PER VOLVNTATEM DEI.

PEr, hoc loco Patri tribuitur, ex quo illud, quod eſt à Doctoribus antiquis obſeruatum, planè ſequitur, non eſſe minorem filium Patre, quòd alibi per ipſum omnia dicantur facta. Eſt certè in vtroque ut uera eſſentia, ita uirtus et perfectio eadem; tantumque in eo diſtinguuntur, quòd alter pater, alter eſt filius, cætera unum atque idem ſunt.

OMNIBVS SANCTIS.

ETſi eſt quorundam in hunc locum ſententia, hoc nomine intelligi uiros perfectos; nobis tamen aliorum commentarius magis probatur, qui uolunt hîc omnes fideles fuiſſe ſignificatos; quòd uidelicet (ut Paulus alibi ait) uocati ſint, ſeu uocatione ſancti, et per Chriſtum baptiſmate ſanctificati. Sic enim & Pontifices ſanctiſsimos dicimus, quòd ſanctiſsimo loco ſint, maximaque debeant ſanctitate cæteris anteire.

ET FIDELIBVS.

VEl id explicatio eſt præcedentis nominis (illos enim uocauit ſanctos, qui ſunt fideles in Chriſto) uel alterum, ut quidam uolunt, ad mores, alterum ad cognitionem ſeu dogmata pertinet; vel, quod alijs magis placet, ſancti dicuntur, quòd peccato mundi, fideles autem, quòd uirtutibus ſint ornati.

IN CHRISTO.

ET per CHRISTVM ſancti ſumus & fideles, nõ quidem, ut putant hæretici, quòd eius nobis ſanctitas imputetur,

ſimus autem reuera immundi; ſed quia de ſpiritu ſuo dedit nobis, deque eius plenitudine omnes accepimus, alij quidem fidem, alij uero prætereà charitatē, in qua eſt uera & perfecta ſanctitas; tanquam in fidei & aliarum uirtutum anima. Neque enim (ut illi aiunt) ſola nos fides iuſtificat facitque gratos Deo; ſed charitas, ſeu ea fides, quæ per charitatem (ut Paulus ait) operatur.

GRATIA VOBIS ET PAX.

ETſi negari non poteſt ſignificari aliquando in ſcriptura gratiæ nomine DEI fauorem, ſeu beneuolentiam, adeoque rem extra nos poſitam; illud tamen concedendum eſt, eſſe in nobis Dei dona, quæ etiam gratiæ nomine ſignificentur. Nos certè hoc loco Paulum credimus ijs precatum omnia bona, ideoq; doni primi & ultimi, id eſt dei gratiæ, & nobis in cœlis pacis repoſitæ meminiſſe. quāquàm non negamus & pacem hîc eam poſſe intelligi, quæ iuſtis in hac uita contingit, & eam gratiam, qua DEVS nos proſequens, eximijs cumulat beneficijs.

BENEDIXIT NOS.

ETſi hæc ad Apoſtolos præcipuè pertinent, ad omnes tamen uidentur fideles referenda: quāquàm ea, quæ ſequuntur, magis electis tribuenda eſſe demonſtrant.

IN OMNI BENEDICTIONE.

VEl perfectam ſignificat benedictionem, cùm omnem dicit; uel non in nobis, ſed in Chriſto datā eſſe omnem benedictionem ſeu donum, intelligendum eſt. Poteſt & illud dici, omnem datam etiam nobis, quòd ea data ſint, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria.

SICVT ELEGIT NOS, ut eſſemus ſancti.

NOn quia ſanctos futuros uiderit, elegit nos Deus, ſed eius electio fecit, ut ſancti eſſemus; & quāquàm gloriam benemerentibus dat, tamen merita ipſe in nobis, etſi non ſine nobis, ſua miſericordia operatur, ut meritò dixerit August. coronare DEVM in nobis dona ſua.

IN DISPENSATIONE PLE-
nitudinis temporum.

DIſpenſauit Deus, ſeu diſpoſuit tempora, quibus quæq; eſſet acturus, tum uerò noſtris uoluit afferre malis remedium, cùm ſatis & cœcitatem & infirmitatem noſtram poteramus agnoſcere, adeóq; hac humilitate idonei fieri, quibus ſuã, quam humilibus dare ſolet, gratiam impertiret.

INSTAVRARE QVAE IN
cœlo, & quæ in terra.

DVm uidelicet (ut ait Auguſt.) & quod ex Angelis eſt collapſum, ex hominibus reddit, et homines ipſos à peccati uetuſtate liberat; probari tamen illorum ſententia poteſt, qui aiunt inſtaurare hoc loco idem eſſe, quod in ſummam colligere, quæ à Deo fuerant fuſius figurata, atq; ad hominis redemptionem geſta. Sic enim Paul. quod eſt factum in Chriſto, uerbum breuiatum & conſummans alibi uocat.

SORTE VOCATI.

SOrtem uocat uel Dei uoluntatem & miſericordiam nobis nullis noſtris meritis ſubuenientem, uel id ſignificat, nos in ſortem, id eſt, hæreditatem à Deo aſcitos.

QVI ANTE SPERAVIMVS.

IVdæos uidetur ſignificare, qui priùs, quàm gentes, ad ſalutem ſunt uocati, Chriſtoque primi crediderunt. poteſt & illud admitti, quòd quidam aiunt, antè ſperare eos, qui rem futuram expectent, quod eſt omnium fidelium commune.

SIGNATI ESTIS.

SIgnat nos Deus ſpiritu ſuo, tanquam ſuos, ſed id nobis non omnino eſt certum. Etſi enim ſunt nonnulla eius rei argumenta, ſatiſque efficacia, tamen ſe iuſtum eſſe nemo citra Dei reuelationem certò poteſt agnoſcere. Neque enim ſine cauſa dictum eſt, Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum; & illud, Si ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea: item, Delicta quis intelligit?

PIGNVS HAEREDITATIS.

PIgnus dicit eſſe Spiritum ſanctum, quòd nos de futura hæreditate certos reddat, modò tamen ipſi eius præceptis obtemperemus. Dabit quidem Deus uitam, ſed his, qui ipſum diligant, & pignus reddant ſpiritus, quod acceperunt.

VT DEVS ET PATER, &c.

ET CHRISTI pater Deus eſt, & Deus Chriſti pater; unde illud, Aſcendo ad patrem meum, & Deum meum. Eſt & Deus gloriæ, id eſt glorioſus, & gloriæ pater, ſicut & alibi dicitur: Pater miſericordiarum.

DET VOBIS SPIRITVM.

HAbebant quidem illi iam ſpiritũ, ſed perfectiorem ut habeant, Paulus petit, nempe, ut magis magisque intelligant, quæ quantaque ſint iuſtis in cœlo repoſita, quantoque Dei beneficio in ſalutem tantam ſint per Chriſtum uocati, &c.

OMNIA SVBIECIT SVB pedibus eius.

CVm alibi Paulus dicat necdum omnia Chriſto eſſe ſubiecta, intelligendum eſt, poteſtate quidem & autoritate omnia ei eſſe ſubiecta, at executione (ut Doctores dicunt) ſeu uſu nondum omnia. Data eſt quidem ei omnis poteſtas in cœlo & in terra, ſed ea nondum in omnes utitur.

CAPVT.

CAput eſſe Chriſtũ imò ſemper fuiſſe Eccleſiæ, certum eſt: adeoq; ab ipſo & ſenſus, & motus tanquam à capite ad membra deriuatur.

CORPVS EIVS.

VT ſunt in corpore membra multa, ita in Eccleſia uarij ordines et diſtincta munera: ut ſe apertiſsimè hæretici de corpore eſſe nolle teſtentur, dum omnia miſcent & confundunt, nec agnoſcunt ordinem à Chriſto in Eccleſia inſtitutum, qui omnia, ut Paulus ait, adimplet in membris ſuis, & in omnibus per omnia adimpletur.

IN CAP. II.

Peccatis

PECCATIS ET DELICTIS.

ILLa, quam quidam hoc loco aſsignant, inter peccata & delicta, differentia, nempè delicta eſſe initia peccatorum, at peccata opere conſummata, eò nobis minus placet, quòd Paulus non multò pòſt dicit, delictis mortuos, & alibi, Chriſtum traditum propter delicta noſtra: Illud itaque nobis probatur magis, Paulum his nominibus omnia peccatorum genera, quæ hominem mori faciant, comprehendere uoluiſſe.

SECVLVM MVNDI.

SEculum mundi uocat præſentis uitæ rationem, ſeu illorum uitam, qui nulla futuræ habita ratione, ea tantùm, quæ uident, auidè ſectantur, huius ſeculi homines non immeritò dicti, quòd ea tantùm agnoſcant atque ament, quæ in hoc mundo ſunt, ſintque à futuræ uitæ beatitudine alieni.

SECVNDVM PRINCIpem poteſtatis.

ID eſt ſecundum ea, quæ Princeps Diabolus ſuggerebat. Vocat autem Principem, quòd poteſtatem habeat in hoc aëre, quantam ei Deus permittit, maliq́ue homines ſuis ipſi peccatis concedunt. Quòd uerò quidam ex hoc loco putant poſſe colligi, Dæmones eſſe corporeos, improbabile eſt.

FILIOS DIFFIDENTIÆ.

HOs alibi uocat filios incredulitatis. Itaque poſſumus homines intelligere, qui nec credunt, nec ſperant, nec Deo fidunt, adeoq́ue de quibus bene ſperandum non ſit, non quia conuerti non poſſunt, ſed quia nolunt.

NATVRA FILII IRÆ.

PEccatum originale nos facit filios iræ, id eſt, damnatione dignos: quia uerò id naſcendo contrahitur, meritò dicimur natura, id eſt, natiuitate ſeu conceptione filij iræ. Eſt autem hoc peccatum factum quidem ſeu commiſſum in Adam, ſingulis uerò adhæret, ubi naſcuntur.

CONRESVSCITAVIT.

QVod futurum eſt, ob certitudinem ſolet ſcriptura factum dicere

dicere: Quanquàm hoc loco ideo factum iam dici poteſt, quòd à peccato ſimus ſuſcitati, & iam in cœlis ſedeat caput noſtrum.

SECVLIS SVPERVENIENTIBVS.

Vel futura ſecula poſt Chriſtum, uel futuram uitam poſſumus intelligere.

GRATIA ESTIS SALVATI.

Non noſtris meritis, ſed Dei gratia iuſtificamur; quãquàm non ſine noſtra cooperatione. adiuti enim Dei gratia ad iuſtitiam nos diſponimus, eamque cùm ſuſcipimus, non nihil agimus.

NON EX OPERIBVS.

Ait non operum merito contingere iuſtitiam: ſed ubi ſumus iuſtificati, poſſe nos mereri uitam æternam, id nec hoc loco negat, & alijs multis apertè confitetur.

SINE DEO.

Sine Deo fuiſſe dicũtur, quòd ueri Dei cognitionem non haberent: alioqui enim nemo ſine Deo eſt, uel ultore, ſi malus ſit, uel remuneratore, ſi bonus. accedit huc, quòd in ipſo omnes uiuimus, mouemur, & ſumus.

IPSE EST PAX NOSTRA.

Ita eſt Chriſtus pax noſtra, ut Iuſtitia, ut ſapientia, ut ſalus, nempè quòd nos pacatos reddat, iuſtos, ſapientes, et ſaluos.

MEDIVM PARIETEM.

Vel legem dicit, uel, quod magis probamus, inimicitiam, quam ſubiungit.

LEGEM MANDATORVM.

Senſus eſt, Euangelicis decretis abrogatam legem ueterem, quæ & mandatis plena erat, & cum multa præciperet, gratiam non conferebat; ideoque à Paulo alibi factorum lex dicitur: noſtra enim gratiæ eſt, & charitatis.

SVPER FVNDAMENTVM Apoſtolorum.

Vel ipſi Apoſtoli & Prophetæ fundamenta dicũtur, uel eorũ doctrina, uel, quod idem eſt, Chriſtus per illos prædicatus,

catus. Et quidem negari non debet, etſi Chriſtus eſt præcipuum fundamentum, alios tamen eius uirtute eſſe etiam Eccleſiæ fundamenta.

IN CAP. III.

ALIIS GENERATIONIBVS non eſt agnitum.

NOtum quidem fuit myſterium & Angelis, & Prophetis, ſed ita, inquit, ut nunc, non fuiſſe notum. Aliud enim eſt futura, aliud præſentia uidere: ſolusque Deus eſt, cuius cognitioni nihil accedere potuit. Adde quod multa dicuntur illi ignoraſſe, quæ in Eccleſia, Chriſti aduentu contigerunt.

PER EVANGELIVM.

PEr id contingit ſalus, dum creditur. uirtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, ſed ita, ut fides hæc, niſi (quod ſæpe admonendum eſt) charitate fulta ſit, non ſufficiat ad ſalutem.

INVESTIGABILES.

SCilicet ſua natura; nam reuelatione cognoſcuntur; uel ſuperioribus ſeculis incognitas ſignificat.

IN QVO HABEMVS FIDVCIAM.

TVm demum eſt fiducia hæc non uana, ſed ſolida, cùm Chriſto adhæremus, eiusque mandata ſeruamus: alioqui fides ſine operibus quantum prodeſt, quæ, Iacobo teſte, mortua eſt?

OMNIS PATERNITAS.

OMnem familiam & cognationem ait à Deo, tanquam primo omnium rerum principio, deriuatam: uultque nos unum eſſe ſpiritu, qui Deum ſocietatum & cognationum noſtrarum cauſam habeamus.

QVAE SIT LATITVDO, &c.

VEl Dei maieſtatem ſignificat, in quo eſt immenſitas bonitatis, ſapientiæ, & aliarum uirtutum, tantaque in eo una, quantæ omnes: uel, ut ait Auguſt. ad charitatem hæc ſunt referenda, cuius latitudo eſt, quòd omnes amplectitur; longitudo, ſi perſeueret; altitudo, quòd Deum propter ſe amamus; profunditas

ſunditas autem eſt in Dei Iudicijs, unde fit, ut charitatem aliqui habeant, omnes non habeant. Poteſt & illud dici, latitudinem eſſe Dei ſapientiam, uel bonitatem in omnia diffuſam. longitudinem æternitatem, altitudinem ſuper omnia maieſtatem, profundum uerò inſcrutabilem naturam & omnem intellectum excedentem.

IN CAP. IIII.

VNVS DOMINVS.

NON unus fuit hæreticis CHRISTVS, quando alij in eo unam tantùm naturam, alij duas perſonas eſſe putabant: nobis autem unus eſt CHRISTVS, qui in eo in perſonæ unitate duas naturas, duasque uoluntates, & operationes, humanam ſcilicet & diuinam, agnoſcimus.

VNA FIDES, VNVM Baptiſma.

Fides una dicitur, quòd omnes fideles unum credant & confiteantur: Vnum uerò Baptiſma, quòd non iteretur, & quòd una DEI uirtute, & CHRISTI merito fiat, quòdque idem ſit, à quocunque detur. Quanquam hoc loco Paulus, ut quidam uolunt, profeſsionem unam intelligat, in qua omnes Chriſtiani conueniant, quam ideo Baptiſmi nomine ſignificauit, quòd Sacramentorum primum ſit, atque in Eccleſiam ingreſſus.

VNVS DEVS.

NON eſt in DEO perſonarum unitas, aut naturæ pluralitas, ſed unus eſt in tribus perſonis: tantùm enim, ut ſuprà indicauimus, in eo eſt diſtinctio, quod perſonarum eſt proprium.

SVPER OMNIA.

EST ſu-

EST ſuper omnia DEVS naturæ excellentia, per omnia prouidentia, in fidelibus autem & iuſtis ſanctificatione.

SECVNDVM MENſuram &c.

DAt DEVS hominibus gratiæ quantum uult: quanquam negandum non eſt, maiorem eò quemque accipere, quò magis diſpoſitus eſt.

DEDIT DONA HOminibus.

ET accepit CHRISTVS dona in hominibus, quod Dauid ait, & dedit, quod Paulus dicit: accepit enim, ut daret, & ea dedit, quæ acceperat.

INFERIORES PARtes terræ.

VEL hunc mundum dicit, quæ eſt infima totius mundi pars, uel eum locum, quò patres liberaturus deſcendit poſt mortem.

IMPLERET OMNIA.

VEL de ſe ſcripta, uel cœleſtia, & terreſtria donis ſuis.

PROPHETAS ET EVANgeliſtas.

PRophetas dicit, qui uel futura prædicerent, uel ſcripturas interpretarentur, uel animi occulta (ut Paulus alibi dicit) manifeſtarent: Euangeliſtas uerò, qui ſcripto uel uerbo CHRISTVM annuntiarent.

MENSVRAM ætatis &c.

VT uerum ſit, quod ferè Doctores dicunt, reſurrecturos oẽs Chriſti ætate; tamen hoc loco potius de animo ſeu ſpiritu, quàm de corpore, uidetur eſſe ſermo. Significatur.n. hũc eſſe finẽ

operum DEI in Eccleſia, ut ſint in ea omnes perfecti, Chriſtoque ſimiles.

SEMETIPSOS TRADIDERUNT.

CVM Deus homines in reprobum ſenſum tradere dicitur, permittere intelligendus eſt. Ipſi enim (ut hîc Paulus ait) ſe tradunt, ſponteque ſua in uitia feruntur.

SPIRITV MENTIS.

VEl Spiritum ſanctum dicit, uel potius mentem, quæ & ipſa ſpiritus eſt. Sic enim corpus carnis alibi uocat corpus, ſeu carnem ipſam.

MENDACIVM.

OMne mendacium deponendum eſt, quia malum eſt: falſaque eſt illorum ſententia, qui putarunt poſſe aliquid accidere, quamobrem mendacio utendum ſit. Verum enim illud eſt, Non eſſe facienda mala, ut ueniant bona.

IRASCIMINI.

VEl ſignificat, ſi contingat iraſci, uitandum eſſe in ira peccatum, uel iraſci, cùm opus eſt, iubet, ſed adhibita cautione, ne peccetur.

VT DET GRATIAM.

VEl eſt hebraiſmus, pro, vt utilitatem afferat, uel gratiam dare dicendus eſt, qui ſuis ad gratiam Dei ſermonibus homines diſponit.

CONTRISTARE SPIRITVM.

NOn contriſtatur quidē Deus, ut in quem nulla paſſio cadere poteſt, ſed more contriſtati à peccantibus recedit.

IN DIE REDEMPTIONIS.

VEl Baptiſmum dicit, quo ſimus redemptionis Chriſti facti participes, uel futuram uitam, qua erimus ab omni miſeria liberi.

IN CAP. V.

Propter

PROPTER QVOD DICIT.

VEl Spiritus ſanctus in Paulo, ſic enim & Prophetæ loquuntur, Hæc dicit Dominus, uel ex aliquo libro, qui nō extat, id ſumptum eſt: niſi quis malit ſumptum ex Eſaiæ 60. cap. nonnullis (ut Paulus ſolet) mutatis.

IN QVO EST LVXVRIA.

ETſi quibuſdam placet, ut luxus hoc loco ſignificetur, nobis tamen uidetur Paulus ſignificare libidinem (ſic enim & Salomon ait Luxurioſam rem uinum) & non modò ebrietatem, ſed uini uſum immodicum prohibere.

DEO ET PATRI.

ESt alterum naturæ nomen, alterū perſonæ, quanquam Deus noſter etiam & Pater eſt, & Deus, itemque Chriſti.

NON HABENTEM MAculam.

HIc etſi id ex aliqua parte contingit, tamen in futura u[illegible] perficiendum eſt. in hac enim ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.

DE CARNE EIVS.

ID propterea dicit, quia ſumus eiuſdem cum Chriſto naturæ, itemque quia eius ſanguine, & uita redempti, uel, ut antiquiſſimi Doctores intellexerunt, quia Chriſti corpore & ſanguine in Euchariſtiæ Sacramento nutrimur.

SACRAMENTVM HOC magnum eſt.

ESt certè quidem matrimonium Sacramentum, ut Eccleſia docet, & Paulus hoc loco non obſcurè teſtatur. Significat enim rem ſacram; nec eſt quod dubitetur, per id gratiam à Deo conferri.

IN CAP. VI.

MANDATVM PRIMVM.

NOn dixit primū mandatū, ſed in promiſſione primum, hoc enim omniū primū adiunctam habet promiſſionē:

eiſque, promiſſa uitæ diuturnitate, præter cætera celebre.

VNVSQVISQVE QVODCVNQVE &c.

EX his & ſimilibus ſcripturæ locis colligitur, meritum eſſe in bonis iuſtorum operibus.

NON EST NOBIS COLluctatio &c.

EST quidem, ſed non ſolùm contra carnem & ſanguinem colluctatio. nam & Dæmones nos oppugnant, & contra nos homines, carnemq́ue inſtigant.

IN COELESTIBVS.

VEl in aëre habitantes Dæmones ſignificat, uel id eos conari, ut nos cœleſtibus bonis priuent.

DIE MALO.

SVnt dies huius uitæ mali omnes ob aßidua pericula, & caſus. quanquam hoc loco intelligi poteſt tempus, uel quo tentamur, uel quo eſt à ſingulis reddenda ratio DEO, qui eſt benedictus in ſecula. AMEN.

EX PRIMA PARTE D. THOMAE.

ANIma noſtra, quæ ſpiritualis eſt & immortalis, non educta de potentia materiæ, ſed à ſolo Deo per creationem facta, multas habet potentias ſibi cũ corpore communes: ſed illæ ſunt omniũ perfectißimæ, quæ animæ ſunt propriæ, nullis affixæ organis, intellectus uidelicet, & uoluntas, quæ inter ſe ſic connexæ ſunt & comparantur, ut intellectus ſit perfectior animæ facultas, uolũtas imperfectior: Sed rurſus hæc mouet intellectũ quoad exercitium, ab eo tamen mouetur quoad ſpecificationẽ actus. Eſt etiã uolũtas libera potẽtia, nec diſcurrit, intellectus autẽ ſine libertate diſcurrit, & radix libertatis eſt.

LVmine naturali adeo eſt clarum hominem eſſe libero arbitrio præditum, ut omnes rationes, quæ ad id confirmandum

dum adduci poſſunt, uincat ipſa rei euidentia. An uerò appetitus ſenſitiuus in homine imperfectam aliquam, & ſibi propriam participet libertatem, ut quibusdam placet, dubium eſt. Nos & hoc; & contrarium etiam putamus poſſe defendi.

3 LIbertatem à poteſtate cum D. Bernardo ſeparantes, dicimus hominem peccatorum uinculis quantumcunque impeditum, libertatem & poteſtatem habere, ut multa bona moralia exequatur; ſed ut iuſtificetur, habere quidem libertatem, non autem ſine gratia poteſtatem; cum gratia uerò libertatem & poteſtatem habere credimus, ut aliquod bonum opus etiam meritorium edat, imò etiam ut actum faciat intenſiorem ipſo fidei aut charitatis habitu, denique et perſeueret.

4 DVm Anima eſt ſeparata etſi habitus ſcientiarum, & ſpecies omnes huius uitæ conſeruat, oportet tamē alias perfectiores accipiat à Deo, quibus & intelligētias, & materialiū eſſentiā, et nōnulla etiā ſingularia iuxta determinationē intellectus aut affectus cognoſcat. Quoniā uerò ſpecies illæ cum animæ natura non conueniunt, rurſus uniri optat corpori, idque non ſolùm propter illius, ſed etiam propter ſuum ipſius bonum.

5 QVemadmodum Angelus poſt peccatum ſuperbiæ obſtinatus ex ſua natura manſit, ideoque ſtatim abſque ulla mora tertio inſtanti damnationem accepit; ita anima errores præteritæ uitæ corrigere non poteſt, ſed ex natura ſua manet, confirmata ut in bonis, ſic etiam in malis, prout ſe geſſit, dum eſſet in corpore.

6 ANima præterea ſeparata, ſicut et Angelus, in loco exiſtit per operationem; quæ ſi omnino ceſſet, nullibi neque Angelus, neque anima dicetur eſſe: Quanquam Angelus uirtute ſua, & ſe poteſt de loco ad locum diſtantem, ſpatio interiecto non pertranſito, & corpora item alia per media mouere. Anima autem, quod probabiliter defendimus, neque alia, neque ſe uirtute propria mouere poteſt.

7 EST & illud animæ in eo ſtatu cum Angelis commune,

ut nec

ut nec ſpecies, nec cognitionem à rebus, quas intelligit, præcipuè materialibus accipiat, ſed per ſpecies infuſas cognoſcat: Quibus quidem non modo abſtractiuam, ſed intuitiuam etiam notitiam ſingularium habere poteſt, ſic, ut nulla in ſpecie facta mutatione, ſola obiecti ſingularis productione, quod prius abſtractiuè tantùm cognoſcere poterat, tunc cognoſcere intuitiuè incipiat.

8 *VT Anima Adami, primi parentis noſtri, immediatè à Deo facta eſt, ſic etiam eius corpus: nec minus conuenienti ratione Euæ corpus de latere Adami formatum eſt. Accepit etiam homo cum intellectuali natura Dei conditoris imaginẽ; ut ſummi opificis mente ipſa, actibus, habitibus, & potentijs non modò eſſentialia, ſed etiam perſonalia referret. Nec incongruè triplex in homine imago diſtinguitur, creationis, recreationis, & ſimilitudinis.*

9 *CErta fide tenendum eſt, Adamum nunc Dei eſſentiam uidere, id quod apertè, teſte D. Auguſtino, elicitur ex Sap. 10. cap. Hoc tamen tanto dono non fuit exornatus, dum in Paradiſo eſſet, imò ne Angelos quidem hoc pacto cognouit: pollebat tamen cognitione Dei præſtantiori, quàm nos: tũ etiam de naturalibus & ſupernaturalibus omnia ea cognoſcebat, quæ ad ſtatum & conditionem uitæ ipſius neceſſaria erant, nec ullum etiam practicum errorem ante peccatum, ſicut nec Angeli, admittere potuit.*

10 *QVod ad uoluntatem ſpectat, ut Angelus, ſic etiam homo conditus fuit in gratia atq; etiam iuſtitia: Nec ſunt idem duo hæc, ſed iuſtitia includit omnes uirtutes & habitus, quibus Adamus reddebatur omni ex parte perfectus: quæ dona accepiſſent etiam filij, ſicut & modò accipiunt peccatum. Habuit præterea omnes uirtutes, ſaltem in habitu, at ex paſsionibus ſolas eas, quæ cum tranquillitate illius uitæ non pugnabant.*

11 *NEc tamen ideo opera fuiſſent ad meritum inefficaciora. nam meritum eſſentiale ex charitate penſari debet. Quare ſi duo æquali charitatis motu uelint bonum aliquod operari, & alteri uires deficiant, is non minus, quàm alter, apud Deum merebi-*

tur:

tur; erit tamen in merito accidentali diſcrimen. quæ omnia in operibus ex opere operantis meritorijs intelligi uolumus, non in alijs, quæ ex opere operato, aut ex priuilegio ualent.

12 *IN eo fœliciſſimo ſtatu & uitæ genere licet homo incorruptibilis non eſſet, nunquam tamen corrumperetur, etiam ſi infinito duraret tempore. Etenim caloris naturalis detrimenta facilè ligno uitæ reſarciret; loci amœnitate, & cœli temperie tutus eſſet ab iniuria frigoris & caloris; Ad hæc, diuina prouidentia aduerſus ferarum incurſus aliaque pericula muniretur; nulla denique paßione aut lædi, aut corrumpi poſſet.*

13 *QVod uerò ad filiorum procreationem ſpectat, fuiſſent quidem illi, ut nunc, naturali modo generati, haberent etiam rerum cognitionem & ſcientiam ætati conuenientem, ut actus ſuos debitè & ordinatè facere poſſent; gratiam denique & iuſtitiam ita accepiſſent, ut tamen non eſſent in ea confirmati.*

14 *CVm uir fuerit à domino extra Paradiſum formatus (ubi tamen Eua facta eſt) in eum eſt deinde translatus; quòd locus eſſet temperatiſſimus, in orientali quidem plaga, non tamen ſub æquinoctiali conſtitutus, quem eſſe ualde amplum & ſpatioſum neceſſe fuit, ut omnes homines capere poſſet, quicunq; ſine peccato manſiſſent.*

15 *CErtum Paradiſi locum deſignare difficile omnino credimus tum propter ea, quæ de illo commemorat ſacra Scriptura, tum etiam propter uarias Sanctorum de hac re ſententias; crediderim tamen probabiliter eum occupaſſe bonã Aſiæ maioris partem: fuiſſe uerò, aut aquis inundationis uniuerſalis, aut alio quopiam modo uaſtatum.*

16 *CReauit DEVS præter hominem omnia etiam alia, quæ & gubernat, poſtquàm creata ſunt; ſed ordinationem & prouidentiam eorum, quæ gerenda ſunt, per ſe ipſum facit, exequutionem partim cum creaturis communicans: dum inferiora per ſuperiora ſapientiſſimè moderatur: nec eſt quod eius gubernationi reſiſtere, aut repugnare poßit.*

17 *NEc ſolum creaturas gubernat, ſed illis operantibus coope-*

ratur, non modo illas in ſuo eſſe conſeruans; ſed cum illis faciens operationem; an uerò illam faciat immediatione ſuppoſiti, an uirtutis tantùm, non omnino conſtat: utrunque quidem probabile, ſed probabilius eſſe cum S. Thoma defendemus, non in omnibus immediatione ſuppoſiti concurrere.

18 *INter ea, quæ ſummi DEI gubernationem exequuntur, primi ſunt Angeli, qui inferiorum Angelorū intelligētiam perficiunt & illuminant, non ita tamen, ut aliquam in illis, ſicut nec in nobis, ſpeciem producant. mouent etiam eorum uoluntatem, non quidem ſufficienter (quod ſolius Dei eſt) ſed perſuadendo atque docendo quæ illi neſciuerint.*

19 *INferiores Angeli etſi ſuperiores non illuminant, illis tamen & loquuntur, & ſuos conceptus manifeſtant; Quorum locutio nulla loci diſtantia, aut interuallo impeditur; Poteſtque unuſquiſque cui uoluerit, ſic loqui, ut nullus aliorum omnium percipiat quæ dicuntur.*

20 *RAtione huius aliorum Angelorum per alios gubernationis, & diuerſorum munerum, quæ apud nos exercent, ordines inter eos & Hierarchias conſtituunt ſacri Theologi; Hierarchiæ tamen rationē in diuinis perſonis nō ponimus. Sunt aūt tres Hierarchiæ, et nouē ordines; quæ longum eſſet per ſingula recenſere. Cæterùm in ordinum diſpoſitione, ſiue quinto loco cum D. Gregorio principatus ponas, ſiue ſeptimo cum D. Dionyſio, parum refert. Neq; enim magnum inuenitur diſcrimen, ſi probè, quæ dicunt ſancti illi Patres, conſiderentur.*

21 *ORdines & Hierarchiæ præcipuè ſecundum gratuita & ſupernaturalia diſtinguuntur, ſed tamen etiam ſecundum naturalia conſiderari debent: atque adeò in Dæmonibus manent ordines, quatenus ex naturalibus ſumuntur: manebunt etiā ordines poſt diem iudicij, quanquam reuelationes ceſſabunt: multiq; homines ad hos ordines & aſſumentur, & quotidie aſſumuntur.*

22 *ADminiſtrant etiam Angeli inferiorem ac corpoream naturam, non ut faciant ſua uirtute miracula: id enim ſolius*

DEI

DEI eſt; nec materiam ad formam mouere poſſunt, niſi actiua paſsiuis applicent: poſſunt tamen corpora localiter mouere, intellectum hominis illuminare: Imaginatiuam etiam, & ſenſum immutare ſolent.

23 AD hæc quidem gerenda quatuor ſuperiores ordines nunquam mittuntur, ſed alij ſolùm; nec uerò omnes, qui non mittuntur, aſsiſtunt, ſed illi ſoli, qui ſunt in prima Hierarchia, nempe Seraphini, Cherubini, & Throni.

24 AD hæc, ſinguli homines ab eo tempore, quo in lucem ſunt editi, habent ſingulos de infimo ordine Angelos ad ſuam cuſtodiam deſtinatos, qui ita diligenter curam & officium ſibi iniunctum exequuntur, ut nuſquam eum hominem, quem in tutelam ſuſceperunt, ita deſerant, ut non præſentiſsimo ſint parati adeſſe remedio: nec tamen, ſi minus aliquando homines ad id, quod intendunt, perducant, dolore afficiuntur: licet aliquando ſcriptura ſacra eos inter ſe pugnare aſſeueret, ad exprimendum uidelicet uehemens eorum de noſtra ſalute deſiderium.

25 TEntat etiam nos Dæmon, atque ad mala pellicit, non ita, ut omnia peccata ex eius ſuggeſtione proueniant: nec ſolùm interius ad malum inſtigat, ſed etiam exterius aliquando ueris, aliquando fictis ſignis, quæ tamen miracula non ſunt, homines decipit, ut, cultu ueri DEI derelicto, ad uanas religiones, aliaúe illicita traducat.

26 PEr corpora etiam cœleſtia multa Deus opt. max. gubernat & adminiſtrat: ſed illa nec in Dæmones, nec in uoluntatem noſtram actionem habere poſſunt: imò uerò nec contingentiam aut fallibilitatem alijs cauſis inferioribus, quæ liberæ non ſunt, auferunt.

27 FAtum, ut conſtellationem atque ſyderum aſpectum ſignificat, excludit meritò Theologorum Schola; Si uerò diuinam ipſam prouidentiam, quæ actiuè, aut ordinem & nexum cauſarum inferiorum ab eadem diuina prouidentia connexum & ordinatum, qui eſſentialiter fatum eſt, ſignificet, ſententiam amplectimur, ſed à nomine uolumus abſtineri.

EX ADDITIONIBUS AD TERTIAM PARTEM D. THOMAE.

DE CLAVIBVS.

1 Clauis Eccleſiæ eſt poteſtas ſpiritualis, qua aperitur regnum cœlorum: atque in Deo quidem eſt clauis autoritatis, in Chriſto clauis excellentiæ, in ſacerdotibus uerò claues miniſterij; in ueteri autem lege ſacerdotes non has claues, ſed tantùm typicas habuerunt.

2 Eccleſiæ claues dictæ ſunt miniſterij, quia ſacerdotes tanquam Dei miniſtri & inſtrumēta per illas operantur. Fuerunt autem neceſſariæ ad rectam Eccleſiæ gubernationem. Et non eſt una dūtaxat clauis, ſed plures, non ſolùm effectus diuerſitate, uerùm etiam eſſentia; eſt enim quædam iuriſdictionis, alia ordinis, & utraq; rurſus duplex, altera ſcientiæ clauis, altera poteſtatis. Non amittuntur autem claues miniſtri peccato, ſicut nec uitæ ſanctimonia ſola acquiruntur.

3 Ordinis clauis in genere quidem eſt poteſtas adminiſtrandi Sacramenta: ſtrictius tamen, eſt poteſtas remittendi peccata per Sacramentum pœnitentiæ. Huius effectus eſt, non ſolùm pœnam temporalem aut æternam remittere, ſed culpam etiam; Siquidem ſacerdos uerè & propriè abſoluit, ac peccata remittit. Hanc uerò clauem ordinis Apoſtoli omnes immediatè, & æqualiter acceperunt à Chriſto, & nunc etiam æqualiter omnes accipiunt ſacerdotes.

4 Iam ſcientiæ clauem poteſt habere imperitus Sacerdos; non enim eſt ſcientia acquiſita uel infuſa, ſed poteſtas cognoſcendi, quis dignus ſit, quis indignus. At uerò clauis poteſtatis eſt poteſtas ſententiā ferendi, id eſt, hos admittendi, illos excludēdi.

5 Clauis iuriſdictionis definiri poteſt, ut ſit poteſtas ſpiritualis gubernandi Eccleſiam; quam quidem ſolus D. Petrus, ut Paſtor uniuerſalis Eccleſiæ, & Chriſti Vicarius, accepit in ſu-

ſpremo gradu, & omnium primus, & à Chriſto immediatè, & in ſucceſſoribus ſuis permanſuram uſque ad conſummationem ſeculi, qua & in alios Apoſtolos, ut oues, uti poterat.

6 ALij uerò Apoſtoli nec æqualiter cum D. Petro eam acceperunt (nec enim ea uti poterant inter ſe, nec in D. Petrum, ſed in alios omnes fideles dumtaxat) nec immediatè à Chriſto, ſed per D. Petrum; quamuis immediatè eam à Chriſto omnes accepiſſe ſit etiam probabile: neq; eam erant ſucceſſoribus relicturi; quippe quam non ex officio paſtoris, ſed ex legationis priuilegio acceperant. Reliquerunt autem eam, quam ex officio paſtoris ordinario habuerunt.

7 VNde Sacerdotes, qui diſcipulis, & Epiſcopi, qui Apoſtolis ſuccedunt, non habent iuriſdictionem iure diuino, ſed poſitiuo à ſummo tantùm Pontifice. Summus autem Pontifex nõ ſolùm iure diuino eam habet, ſed ab ipſo ad alios omnes ea dimanat. Eſt enim ſupra Eccleſiam, et ſupra Concilium, nec in fide, aut moribus errare poteſt: ſed nec deponi in ullo caſu, præterquàm in cauſa hæreſis.

DE EXCOMMVNICATIONE.

8 CVm clauium actus ſint duplices, ſcilicet ligare, & ſoluere, Excõmunicatio actus quidam eſt clauis, quo animæ ligãtur, nõ ordinis, ſed iuriſdictionis. Eſſe aũt in Eccleſia excõmunicandi poteſtatẽ fuit utile, et neceſſariũ, et ex illo loco D. Pauli, quo Corinthium Sathanæ tradidit, neceſſariò cõuincitur.

9 ESt autem Excommunicatio, cenſura ſeparans ab Eccleſiæ communione, cuius cauſa ſola culpa eſſe poteſt, qua ſi quis careat, nequit excommunicari; nec tamen idem ſeipſum, quamuis culpam habeat, excommunicare poteſt.

10 AT excommunicatus ante abſolutionem, etiam ſi reſipiſcat, et ſit in gratia, ſemper manet ſuffragijs Eccleſiæ priuatus. Sed contrarium quoq; eſt probabile, dum non ſit in mora petendæ abſolutionis. Similiter mortuus, ſi cum excommunicatione diſceſſerit, excommunicatus manet etiam apud Deũ, antequàm abſoluatur, etiam ſi contritus fuerit. Quòd ſi in excommunica-

ctionem non incidit uiuus, excommunicari nequit mortuus; ſed ſi in eam incidit, poteſt declarari: Quòd ſi ſigna contritionis in morte oſtenderit, ſicut à peccatis, ita ab excommunicatione abſolui poteſt, & debet.

11 EST autem Excommunicatio duplex, maior, & minor: Minor, quæ pro ueniali ferri poteſt, eſt cenſura Eccleſiæ, qua quis priuatur à Sacramentorum perceptione, & electione paſſiua. Poteſt enim Pōtifex pro ratione culpæ, uel à tota, uel à qua uelit, parte cōmunionis Eccleſiæ ſeparare. Nō incidit uerò quiſquam per peccatū mortale in hanc excōmunicationem minorē.

12 EXcommunicatio uerò Maior, quæ abſolutè Excommunicatio dicitur, & Anathema, eſt cenſura ſeparans à Sacramētorum fructu & ſuffragijs communibus ex Eccleſiæ intentione, uel, ſi mauis, ſeparans ab inter na & externa fidelium communione: quæ illo uerſiculo continetur, Os, orare, uale, &c. Non poteſt autem ferri pro ueniali peccato ſed pro mortali, & quidem non quouis, ſed pertinaci, & inobedientiæ, idq́ue iuris ordine, debita prius admonitione facta.

13 EST autem probabile hanc etiam admonitionem eſſe debere, non ſimplicem, ſed comminatoriam ſub pœna excommunicationis, ut excommunicatio teneat. Sed contrariam etiam ſententiam, ut probabilē, tuebimur. Quo fit, ut pro præterito dumtaxat peccato, nullus poßit à iudice, ipſo facto, excommunicari, hoc ipſo, quia peccauit, niſi noua acceſſerit poſtea contra mādatum eius, aut contra cenſuram inobedientia.

14 MAior Excommunicatio duplex eſt: nam & à iure eſſe poteſt, & ab homine, & in illa quidem probabile eſt inuincibilem iuris ignorantiam excuſare. Ea uerò excommunicatio, quæ fit ab homine, ſi trina ante ſententiam deſit admonitio, tenebit quidem, modò aliqua fiat, tamen iudex peccabit: nam trina admonitio non eſt neceßitatis, ſed decentiæ: Neceßitatis uerò eſt una, ut minimùm.

15 QVòd ſi à ſummo Pontifice ſententia excōmunicationis feratur, quamuis pluribus ſuffragijs non priuet, quàm cuiuſ-

uis

nis alter'us inferioris, magis tamen eſt timenda, & magis ligat. Eademq; ratio eſt de Epiſcopi excommunicatione collata cum inferioris excõmunicatione. Quare etiam fit, ut ſemel excommunicatus iterùm poßit excommunicari, & magis ſemper ac magis ligari, & magis ab Eccleſia ſeparari.

16 *SEd Excommunicatio iuſta & iniuſta eſſe poteſt. Iniuſta eſt duplex, ſcilicet Nulla, & Valida: & Valida quidem obligat etiam in foro interiori, ut cùm iudex malo animo excommunicat, uel cùm cauſa eſt dubia, uel falſa per falſos teſtes probata. An uerò tunc innocens interius priuetur ſuffragijs, nec ne, probabile utrumque arbitramur. Quare meritò dicitur: ſententiam paſtoris iuſtam, uel iniuſtam, timendam eſſe: Illa uerò, quæ nulla eſt, ad nihil obligat, nec eſt timenda.*

DE INDVLGENTIIS.

17 *INdulgentiæ nomen cùm in bonam, & in malam partem accipiatur, & uarius ſit indulgendi modus, tamen hic maximè uidetur proprius, cùm alterius peccatis quis indulget, ut matres ſolent filijs, eorum relinquentes impunita peccata. Quare propriè Eccleſia indulgentiæ nomen pro hac peccatorum pœnæ condonatione & nunc, & olim, ſæpius uſurpauit: quanuis antea remißiones, & relaxationes frequentius appellarentur.*

18 *NOn eſt autem culpæ remißio Eccleſiæ indulgentia, ſed nec per indulgentias hæc remitti poteſt, ſed pœnæ remißio; et pœnæ non æternæ ſed temporalis; non quidem ciuilis, nec omnis eccleſiaſticæ pœnæ, uerùm in foro tantùm Pœnitentiæ impoſitæ uel imponendæ, uel Deo pro peccatis debitæ; Non enim ſolùm uinculum quoad Eccleſiam ſoluit, ſed quoad Deum quoque ſecundum diuinam iuſtitiam.*

19 *EST autem hæc remißio non in Sacramento facta, ſed extra Sacramentum, quam tamen quidam abſolutionem Iuridicam eſſe uolunt, alij theſauri Eccleſiæ diſpenſationem. Nos tamen probabilius arbitramur, non unum ex his tantùm, ſed primò & per ſe eſſe abſolutionem, & eam inniti theſauri diſpenſa-*

ſpenſationi: aut contrà primò, & per ſe eſſe diſpenſationem, ad quam conſequatur abſolutio.

20 NEc caret etiam probabilitate, quaſdam quidem indulgentias eſſe abſolutiones, quaſdam uerò potius diſpenſationes. At ſi in uniuerſum indulgentiæ eſſentia ſpectetur, ut omnes has complectatur, definiri debet; eſſe remiſſionem uel liberationem à pœna pro peccatis actualibus DEO debita, extra Sacramentum factam.

21 DEcuit autem, ut hanc poteſtatem in Eccleſia concedendarum indulgentiarum CHRISTVS redemptor noſter relinqueret; ſiquidem dimiſſa culpa adhuc manere pœnam contingit. Eam uerò conceſſit, cùm claues dedit: eſt enim indulgentia, clauis iuriſdictionis actus: quare ab alieno data iudice nihil ualet.

22 HAnc uerò poteſtatem ſolus Pontifex & Epiſcopi habent ex officio ordinario, alij uerò ſolùm ex delegatione; nam quàmuis præfecti religionum poſſint communicare ſuæ religionis ſuffragia, non tamen poſſunt indulgentias concedere. Nec uerò indulgentiarum uſus eſt recentior, nec à Diuo Gregorio cœpit, ſed à temporibus Apoſtolorum.

23 FIde tenendum eſt, in Eccleſia eſſe theſaurum, ex quo per indulgentias pro peccatorum pœna fit ſolutio. Conſtat autem non ſolum CHRISTI & Beatæ Virginis Mariæ, ſed etiam aliorum omnium Sanctorum meritis, & ſatisfactionibus ſuperabundantibus. nec per hoc merito aut paſſioni Chriſti detrahitur; quin potius illuſtrior ea redditur, nobiſque efficacius applicatur.

24 HVnc theſaurum poteſt Pontifex ad indulgentiarum effectum diſpenſare & applicare: quanuis etiam ſit probabile, citra theſauri diſpenſationem poſſe quoque per ſolam abſolutionem ex poteſtate tradita indulgentias concedere, atq; etiam ex communibus ſuffragijs illa applicando. Itaq; non uno, ſed multis modis, multiſque de cauſis poteſt Pontifex concedere indulgentias.

25 CAuſam autem requirere indulgentiam certum eſt,eamq; piam, ſcilicet animarum utilitatem & Dei gloriam; quæ ſi deſit, nihil ualet; ſin adſit, quantumuis ampla indulgentia dari poteſt. Poteſt quoque ob res temporales indulgentia concedi, nec id eſt ſimonia. Eſt autem indulgentiæ duplex pia cauſa, altera particularis, utputa opus, quod imperatur: altera uniuerſalis, ad quam tum illud, tum indulgentiæ conceſſio refertur, utputa Concilij fœlix ſucceſſus. Non eſt autem neceſſe, ut adſit utraque, ſed earum alterutra ſufficit.

26 INdulgentiæ uerò tantum ualent, quantum ſonant, nec plus minusúe. ſunt enim ſtricti iuris, ut dicunt; Quòd ſi de iniunctis pœnitentijs concedantur, de illis tantùm intelligendæ ſunt: ſi uerò abſolutè concedantur, non addita ea particula (de iniunctis) intelliguntur ualere etiam de iniungendis, non quidem ſecundum canones pœnitentiales, aut quæ reuera in futurum à Sacerdote iniungentur, ſed ſimpliciter de pœnitentijs peccatorum debitis. At anni, & dies, tum in hac uita pœnitentiæ debitæ; tum in Purgatorio debitæ pœnæ, ſupputari poterunt.

27 IAm uero uel partem indulgentiæ conceſſæ, uel totam quis conſequi poteſt. Vt autem totam conſequatur, requiritur & ſufficit, ut opus imperatū ita exequatur, ut ſit et dici poſſit uirtutis actus, hoc eſt, ut faciat id ſciens, ac uolens, ex electione ad conſequendam indulgentiam, & ob rectum finem: & præterea ut ab homine fiat exiſtente in gratia. Nihil autem uetat, eandem indulgentiam, immò & eandem indulgentiæ quantitatem aliquem efficacius alio conſequi.

28 NOn ſolùm uiuis, ſed etiā Purgatorij animabus poteſt Pontifex indulgentias ex theſauro elargiri, easq; per modū ſuffragij, idq; fide tenēdū. An uerò ualeant ex iuſtitia, an ex miſericordia et acceptatione diuina, dubium uidetur; eſt tamen utrunq; probabile: ſed probabilius eſt medio quodā modo ualere, partim ſcilicet ex iuſtitia, et partim ex miſericordia. Sed cōmunicatione quoq; cōmunium eccleſiæ ſuffragiorum eas poteſt liberare: Immò probabile eſt quoq; idē poſſe iurisdictione, eas à pœnis abſoluendo.

DE

DE SACRAMENTO EXTREMÆ Vnctionis.

29 EXtrema Vnctio unum eſt ex ſeptem Sacramentis à Chriſto immediatè inſtitutis, ſed per Diuum quidem Iacobum promulgatum, & Marc. 6. inſinuatum. Definiri autem commodè poteſt, eſſe Sacramentum unctionis infirmorum ad ſalutem animæ & corporis: cuius materia eſt oleum oliuæ ab Epiſcopo conſecratum: at ſine conſecratione Sacramentum non eſſet: quamuis contrarium ſit probabile, ut Sacerdotem quoq; ex Pontificis diſpenſatione illud poſſe conſecrare.

30 FOrma huius Sacramenti non abſoluta, ſed deprecatoria eſſe debet, ſcilicet, Indulgeat tibi Dominus, &c. quòd ſi abſoluta forma proferatur, primùm quidem peccat Sacerdos, deinde Sacramentum non tenet. Hanc aūt formam non à D. Ambroſio, aut à D. Gregorio (quantum ad ea, quæ ſunt eſſentiæ eius) ſed nec ab Apoſtolis, ſed ab ipſomet Chriſto, ut & cæterorum Sacramentorum formas, expreſſam, & inſtitutam fuiſſe credendum eſt.

31 MIniſter uerò nec fœmina, nec laicus, nec ſubdiaconus aut diaconus eſſe poteſt, ſed presbyter. Dari autem non debet, niſi infirmis extremo morbo laborantibus. Quòd ſi ſanis daretur, Sacramentum non eſſet.

32 VNgendi autem ſunt in ore, naribus, & manibus ad Sacramenti neceßitatem; ſed licebit etiam ungere in renibus, & pedibus: & hæ tunc unctiones ueræ erunt Sacramenti partes; at ſine iſtis eſſentia Sacramenti conſiſtet, & idem omnino fiet effectus. Non eſt autem hoc Sacramentum inſtitutum primò & per ſe ad mortalium remißionem, aut uenialium, nec ad reliquiarum peccatorum ablationem, ſed ad efficiendam unctionem ſpiritualem, quæ animam ſanat.

33 QVanquā & hos, & alios pleroſque habet effectus; non enim ſolùm delicta (ſiqua ſint adhuc expianda) ac peccati reliquias abſtergit, ſed ægroti animam alleuiat, & confirmat,

firmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſubleuatus & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit: & ſanitatem corporis non ſemper, ut alios effectus, ſed interdum, uti ſaluti animæ expedierit, conſequitur.

LAVS DEO.

De licentia Superiorum.

